

OBSERVATIONES NONNULLÆ

DE

A P O L O G O,

QVAVUM PARTEM PRIOREM,

CONSENT. AMPL. SEN. PHILOS. IN REG. ACAD. ABOËNSI,

PRÆSIDE

Mag. HENRICO GABRIELE
PORTHAN,

*Eloqu. Professore Reg. & Ord. Equ. Ord. Reg. de Stellar
Polari, Reg. Acad. Litt. Human. Hist. & Antiquitt.
Reg. Societ. Scient. Upsal. &c. Socio,*

PRO LAUREA

PUBLICÆ EXAMINANDAM PROPONIT

JACOBUS HEIKEL,
Apologista Scholæ Trivialis Ulöburgensis,

In Auditorio Anatomico die X. Junii MDCCCII.,
Horis p. m. solitis.

A B O Æ,

In Officina FRENCKELLIANA.



§. I.

Non fuit præsentis consilium opusculi, ut Theoriam Apologorum ex instituto explicaremus, quod multi ante nos viri doctissimi præstiterunt (a); sed ut nonnullas modo de hoc scriptionis genere observationes, quasi per lancem saturam, argumenti illustrandi causa, adferremus, opinionibus quibusdam, ut nobis videtur, de eo minus commodis corrigendis inservituras.

§. II.

In duplici autem differentia omnes in universum esse Apologos, novimus: quorum alii *ad docendum*,

a) Vid. ESCHENBURG *Entwurf einer Theorie und Literatur der schönen Wissenschaften* (Berl. 1729,) *Æsop. Fabel* §. 3, & quos ibi laudat: (a quibus simul differentia inter *Fabulam*, *Exemplum* & *Parabolam* exponitur). His addatur JACOBS (in *vita Johannis la Fontaine*): vid. *Nachträge zu Sulzers allgem. Theorie der schönen Künste* V. B. 1 St. p. 139 sqq.

dum, vel veritates quasdam fructuosas, maxime practicas, hominibus ob oculos ponendas, vimque earum sic augendam, toti comparati sunt, sive profaica oratione sive etiam, ut memoriae feliciter inculcentur, metrica propositi; alii ad animos praeterea hominum *oblectandos* pertinent, qui igitur pulchri alicujus instar operis spectari debent, atque inter genera Poeseos locum non ignobilem occupant. Illi, *simplicitate* quadam ingenua, cum *brevitate* conjuncta, eminere in primis debent, atque *fabulae ipsius* felicitate, ad doctrinam quam commendare conantur animis hominum efficaciter insinuandam accommodatissima. Utrumque genus non modo *perspicuitate* singulari gaudere debet, ut & oratio narrantis & consilium narrationis suae facile intelligatur, sed etiam *vividitate* ad rem quam auctor animo intendit audientibus vel legentibus persuadendam idonea. Ut autem *veritas* (aut, pro rei natura, *verisimilitudo*) in omni scripto praecipue requiritur; ita ab Apologis quoque nullo abesse modo potest: quae res late patet, ac ab optimis quoque auctoribus qua decet cura atque diligentia non semper observatur. Posterius autem genus, *narrandi* quoque *arte* singulari, & *orationis poeticae laudibus* explendescere debet, sine quibus Poematis nomine haud est dignum.



§. III.

Quin prius illud genus, ad quod *Bidpayi* (b), *Locmani* (c) & *Æsopi* (d) Fabulæ pertinent, posteriori illi antiquitatis laudem præripiat, dubitare nemo potest (e); quod etiam ad artem potius Rhetoricam quam Poëticam relatum olim fuisse, viri doctissimi observant (f). Studio hominum, doctrinas atque monita utilia *intuitive* atque *sensualiter* (ut hodie loquimur) proponendi (h. e. illas quasi sensibus auditorum, in quantum fieri possit objiciendi, ortum debere, in confesso est; eodem consilio quo Meta-

A 2

pho-

b) Sive *Pilpayi*. Vid. VON BLANKENBURGS *Literarische Aufsätze zu Sulzers Allg. Theorie der Schönen Künste* I. B. Art *Fabel, die Æsopische* (p. 539 sqq.), sive Operis ipsius *Sulzeriani*, Edit. novæ (Lips. 1792) P. II. p. 172. sq. (sub ead. voce).

c) Vid. V. BLANKENBURG I. c. p. 538, sive SULZERIANI operis edit. laudatæ p. 172.

d) Vid. v. BLANKENBURG voc. *Æsopus* I. c. p. 22. sqq. & SULZERIANI operis Ed. cit. I. c. p.

e) *Nathanis* fabula, quam R. Davidi narravit (*II Sam XII*), eaque adhuc vetustior *Jothami* Sichemitis narrata (*Judic. C. IX*) satis ostendunt, etiam apud Israëlitas hoc genus mature fuisse adhibitum.

f) ESCHENBURG & V. BLANKENBURG I. I. c. c. (post LESSINGIUM). Cfr. JACOBS I. c. p. 274 — 278.

phoras & Imagines, deinde etiam Allegorias, in sermonibus suis libenter frequentarunt (g): quod hæc ratio esset priscorum hominum (ut hodie puerorum & rudis plebeculæ) captui accommodatissima & familiarissima, qui non tam veritates percipere valent quas universales dicimus atque abstractas, quam singulares, & similitudinum exemplorumque ope vivide exhibitas. Ad hoc adjuvandum consilium, valde pertinet, quod cum factum narratur, ordini legibusque naturæ agnitis conveniens, non solum possibilitas rei, sed etiam interna ejus necessitas quasi spectanda exhibetur, adeoque persuadendæ veritati, ad quam commendandam comparata est, vehementer inservit.

§. IV.

Ut viros fuisse celebres novimus, quibus consilium *Apologos* (quos etiam *Fabulas*, addito sæpe, non dicam quam apte, cognomine *Æsopiæ*, vulgo voca-

g) *Apologos*, antiquitus non tam ad universalem quandam veritatem exponendam & inculcandam, quam pro speciali quadam re aut consilio adjuvando & persuadendo, fuisse fere adhibitos, Historia testatur; ut Fabula *Nathanis* Davidi, *Stesichori* (de Cervo & Eqvo, novissima) Himerensibus, *Demosthenis* (de Canibus & Lupis) Atheniensibus narrata. Quæ re ad genus allegoricum multo propius accedebant. Cfr. JACOBS l. c. p. 273. & 277. sqq.

camus) condendi totum displiceret (*h*), vel non magni esse usus videretur (*i*); ita alii ornatius illud eorum genus, quod Poëtica inprimis laude floret,

A 3

vel

b) Nollem his se noster adjunxisset KELLGREN (*Samlade Skrifter* 2 B. p. 141. sq.); qui cum dicit, hoc genus assensum non mereri hominis sapientis, nisi veritatem aliquam exhibeat novam atque egregiam, nonne idem de omni Poëmate, atque omni adeo scriptione, valet? Fabulis vero vitio vertere, quod animalia, quin res inanimæ, in iis loquantur, non magis licet, quam tropis & figuris quibusque, inprimis audacioribus, bellum indicere. Ubi præclare narratam de Qvercu & Arundine fabulam nobis exhibet *La Fontaine*, quid aliud facit, quam vitam, jure vatis, imagini addit, ad conditionem potentiae superbae & fortis inferioris modestae depingendam, aptissimæ? Cum quo consilio, quomodo illorum stultitia ullo modo comparari poterit, qui Genios evocare, ut ab iis res futuras resciscant, conantur? Itaque nec ipse in hoc genere vires suas experiri, vir ingeniolissimus dubitavit.

z) Inprimis usum eorum in pueris instituendis prorsus damnat ROUSSEAU (*Emile* T. I. L. II. p. 176 sqq.). Cui nos libenter concedimus, Fabulas ornatiore illius generis (quales pleræque sunt Dni *La Fontaine*), puerorum ætati minus convenire, ac esse etiam aliquas morum præceptis severioribus (ut haud paucae *Phædri*) non satis consonas. Sed factò inter Apologos, qui ad simplicius illud genus pertinent, delectu debito, exhiberi eos pueris instituendis maximo cum successu atque fructu posse, extra dubium est. Quod objicit, mendacium iis contineri, ac non posse pueris videri probabiles; frustra est. Faci-

6 ❖ ❖ ❖ ❖ ❖
vel contemnere, vel aspernari non dubitarunt (k).
Quorum neutris assentiri possumus. Illos non modo

cile enim intelligunt, non nisi figuram sermonis esse: solent ipsi & sermonem cum pupis suis instituire, & has inter se colloquentes inducere, sermonisque earum mutuū quasi interpretes agere; adeo hoc fictionis genus ac in genere pronitas rebus mortuis vitam & ratione carentibus sui ingenii mores tribuendi, menti humanæ naturale est! Adeoque nec facile talia dubia pueri afferunt, qualia Philosophus iis tribuit, absurditatis quid in animalium sermone non sentiunt, animique eorum facile & promte a talibus scrupulis ad doctrinam fructuosam percipiendam, quam fabula vivide sibi exhibet, abducuntur. Cum dubiis de verisimilitudine narrationis concipiendis pares evadunt, intelligere etiam valent cur hujusmodi habitu veritas induatur. Bene autem est, quod ipse alio loco, censuræ suæ severitatem mitigat, ad vitia puerorum corrigenda fabularum usum haud contemnendum esse, fasius (l. c. T. 2 p. 192.)

k) Ill. HOLBERG, qui *Fabulas* sic dictas *morales* ille etiam edidit (insulsissimas plerasque, atque quasdam supra modum absurdas!) in præfatione libri sui illorum consilium, qui ligata oratione fabulas componunt, non modo inutile, sed plane absolum esse pronuntiat; argumento nixus, quod si valeret, omnia omnino Carmina simul essent proferibenda! Sed ipse etiam LESSING, haud parum gravior Auctor, orationem prosaicam metricæ in fabulis scribendis præfert (in adjectis *Fabularum* suarum collectioni, *Disertationibus*, Diss. IV. *von dem Vortrage der Fabeln* p. 216 sqq.). Cujus asserti causa inde maxime pe-

de ratio ipsa, sed temporum quoque ac gentium omnium, literarum cultu florentium, consentiens fere vox & experientia refellit. Tales autem Apologos, proprie ad docendum comparatos, in quibus non nisi ipsa materia & quasi fundus operis (inventio fabulæ) poëticæ facultatis laudem auctori vindicat, prosaica oratione utiliter proponi, licet indubium sit; nihil tamen impedit, quo minus metri quoque ope queant commendari, atque ad posteritatis memoriae propagari, modo simplicitati suæ naturali atque perspicuitati, (facillimam quasi sponte offerenti ad res spectatas applicationem) nihil inde damnum ena-

tenda est, quod non nisi genus illud simplex atque inornatum, ipse (poëtico illo rejecto) amplecteretur. Quare dicit: *Der Fabuliste hat mit unsern Leidenschaften nichts zu thun, sondern allein mit unserer Erkenntnis.* (l. c. Disf. I. p. 154,) & porro (Disf. IV. p. 223) ornamenta cum vera fabulæ indole pugnare, contendit: indeque de *Fontainio* admodum inepte iudicat. Unde de *Lessingia* ipso atque fabulis suis *MEINERS* (*Grundriss der Theorie und Gesch. der schönen Wissenschaften*, C. XIX. § 3.) severius quidem, sed non omnino temere iudicat: *Lessing hatte zu falsche Begriffe von dem Zwecke der heutigen Fabel*, (ornationis illius generis) *als dass er in dieser Dichtungs Art grossen Beyfall hatte erhalten können.* Non tamen caret ille hodieque in sua gente admiratoribus, etiam in genere fabulari, & ad stipulatoribus, acerrimis.

enascatur (l). Quin autem ornatus illud genus ita possit egregie tractari, ut Poëmata inde exsurgant laude poëtica cumulatisima, post tot felicissimos egregiorum virorum conatus, causa dubitandi nulla superest; nec vel LESSINGII acumen (l. c.) vel HEYDENREICHII ineptiæ (m) contrariam sententiam fa-

l) Unde non tantum HESIODUM (Op. & D. v. 202 — 212.) haud ineleganter narratam Poëmati suo inferuisse Fabulam videmus, atque *Archilochum* Odis suis tales scimus intexuisse (Cfr. JACOBS l. c. p. 275); sed etiam SOCRA-TEM in carcere Ælopias quasdam Fabulas versu reddidisse (sine dubio ut vel memoriæ constantius inhærent, vel mentem fortius afficerent), constat. Vid. PLATONIS *Phædon* (Opp. Ed. Bipont. 1781 sq. Vol. I. p. 138). Quod tamen suspicatur JACOBS l. c. p. 295, Socratis hoc inprimis exemplo excitatos homines ad Fabulas versibus contexendas postea animum appulisse, credere eo minus esse putamus necessarium, cum nec antiquiorum Poëta- mus (ut eorum quos laudavimus) auctoritate, idem con- silium careret.

m) Qui in libro *System der Æsthetik* (T. I. VII Betracht. IV Excurs, p. 353 sq.) hoc de Apologis argumentum mi- sere vexavit. Ita, intrepide urget, (*Lessingii* sine dubio judicio abreptus) totum genus ad Poësin vere & jure re- ferri haud posse, quia nulla in eo affectus aut sensus ve- stigia compareant (*in ihr druckt sich nicht nur gar kei- ne Leidenschaft, kein Gefühl aus, sondern sie kann auch nicht einmal als ein Product der Empfindsamkeit ange- sehen werden*). Non dicam, quo jure Poëseos pomeoria

facile cuiquam persuadere valebunt. Cujus generis
in *Fontainio* (*La Fontaine*) virtutes egregie imprimis

B

ex-

coarctet; sed num eum vel *Fontainii* Fabulas legisse
putes? Porro *morales* tractare doctrinas Apologis severe
interdicit (*Moralische Sätze soll die Fabel nicht darstel-
len wollen; sie soll aber nicht, weil sie nicht kann, in-
dem keine Handlung die Moralität an sich* (quid hoc
sibi vult?) *darzustellen fähig ist. Nathanis* igitur Fa-
bula Davidi *moralem* aliquam veritatem non repræsentavit?
Cur autem bruta animalia & res inanimæ in Fabulis loquentes
introducantur, egregia *Lesingii* ratione (quod communiter nota &
mox animadvertenda characterum constantia in certis animalibus atque rebus, efficit,
ut sub eorum personis certæ doctrinæ practicæ universalis & facilius
exhiberi queant intuitive promptæque cognoscendæ, cfr. l. c. Dis. II. p. 181 sqq.) non satis contentus,
inde præterea (cum *Breitingero*, cui *Lesingius* assensum recte denegavit) arcescit, quod novitas & mirabilitas
talium repræsentationum attentionem excitat atque conservat, ac imprimis, (quam rem maximi momenti,
se primum observasse gloriatur!) quod, celerrima licet & mox transiens, illusio phantasiæ, de possibilitate definitarum
prudentiæ regularum in brutis, ambitioni hominum, in rudi illo statu pueritiæ animi humani, stimulum ad-
moveat! Neque placet ei *HERDERI* pulchra observatio (*Zerstreute Blätter* 3 B. p. 126): "Thiere handeln in der
"Fabel, weil dem sinnlichen Menschen alles wirkende in
"der Natur zu handeln scheint; und welche wirkende
"Wesen wären uns näher, als die Thiere? — Je mehr
"der Mensch eine Thiergattung kennen lernt, und mit
"ihr vertraulich umgeht, desto mehr gewöhnen sich bey-

exponit JACOBS (n). Nec tamen illius rationem genus hoc tractandi, quamvis præclaram, ut unicum, quibusvis imitandum, proponi volumus exemplum (o); cum minime contemnendam alii quoque, paul-

de an einander, und theilen einander von ihren Eigenschaften mit. Er glaubt sie zu verstehen, und wähnt, daß sie ihn verstehe; also ist der Grund der kühnsten Æsopischen Fabel, dem Wahn der Menschen nach, beynahe als Erfahrung, als historische Wahrheit gegeben." Contra quæ, ille pluribus, mirum in modum disputat! Nobis autem HERDERI disputatio multo etiam magis probatur, quam quæ pro eadem re illustranda habet MEINERS *Gesch. des Ursprungs, Fortgangs und Verfalls der Wissenschaften in Griechenland und Rom*, I. B. I. Buch p. 73 sqq. Cæterum LESSINGII ratio eo etiam nomine præstantissima est, quod ad res quoque inanimas applicari facile potest. Neque observatio similitudinis, inter depictos animalium mores atque hominum illos, quos spectat fabula, parum ad delectationem pariendam hic, ut in omni imagine adhibenda, confert. Quare haud temere QVINCTILIANUS (L. V, C. XI. §. 19) "Illæ quoque, inquit, Fabulæ, quæ nomine Æsopi maxime celebrantur, ducere animos solent, præcipue rusticorum & imperitorum, qui simplicius, quæ ficta sunt audiunt, & capti voluptate facile iis, quibus delectantur, consentiunt."

n) L. c. Cfr. MARMONTEL *Poétique Française* T. II. Ch. XVII.

o) Quo vitio plerosque laborare doctores literarum elegantiorum Gallos, videas (Cfr. MARMONTEL I, c. & BATE

paullo alia progredientes ad eandem metam via, laudem sibi pepererint.

§. V.

Solent doctores harum litterarum inter plura quæ constituunt (pro nostro quidem iudicio plerumque parum apte) Apologorum genera (*p*), alios appellare *Simplices* (diverso plane ab illo quem nos amplexi sumus atque supra commendavimus, sensu), alios *Compositos*; in quo posteriore genere duas

ex-

TEUX *Principes de la Litterature* T. II. Traité II.); qui ex uno *Fontainii* opere regulas pro Theoria totius hujus generis formanda, abtraxisse videntur. Recte autem SULZER l. c. voc. *Fabel*, pronuntiat: *Es ist ein vergebliches Bemühen, wenn man durch allzu enge Bestimmung der Begriffe von Werken der Kunst, dem Genie Schranken zu setzen sucht.* Placere plura genera, quamvis valde diversa, poste, sua quævis laude digna, vel exempla docere possunt quæ exhibet ESCHENBURG *Beispielsammlung zur Theorie und Literatur der schönen Wissenschaften* l. B. p. 5 — 72; quibus e nostris quoque Scriptoribus (quorum cognitio, vel Germanis, plane solet esse peregrina!) egregia plura adjungere liceret. Ac valere in hac quoque re putamus, quod dixit vir ingeniosissimus: *Tous les genres sont bons, hors le genre ennuyeux.*

p) Cfr. LESSING l. c. Disf. III. *von der Eintheilung der Fabeln*; & ESCHENBURG *Entwurf* &c. §. 12.

exhiberi, sed pro eadem demonstranda veritate, ñ-
 magines docent (q). Quod posterius genus si vitio
 quam laudi propius non est, altera tamen illa ima-
 go, saltem non nisi ad Applicationem Fabulæ, sive
 doctrinam, (Sensum Moralem inde hauriendum,) non
 ad Fabulam ipsam pertinet: quæ pars Apologi, sive
 Fabulæ præmittatur sive postponatur, sive simplex
 sive composita sit, sive etiam (ubi satis per se ap-
 paret atque in oculos quasi incurrit) prorsus præ-
 terminatur, id genus ipsum fabulæ attingere non
 videtur (r).— Sed filum dicendorum hic abrumpere,
 & reliqua alii reservare tempori cogimur.

q) Quibus tamen quia ad eundem scopum tendunt, *Unitatem*, in Apologis, ut in aliis Fabulis, necessariam, tolli negant, ac neque eam duplici actione, quæ in composito genere introducitur (unde duas, licet pro eadem sententia confirmanda adhibitas, nasci credas Fabulas?) lædi putant.

r) JACOBS l. c. p. 294.

